

Ann. IV.

Num. XX.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;  
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

*Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem*  
**ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA**

— — — — —  
**Subnotatio fieri potest:**

**IN RUSSIA**

Apud GEBETHNER ET WOLF

**VARSAVIAE POLONORUM**  
Krakowskie Przedmiescie, 15

**IN ANGLIA**

Apud BURNS AND OATES

**LONDON W.**  
28, Orchard Street.

**IN CIVITATIBUS FOEDERATIS  
AMERICAE SEPTEMTR.**

Apud FRIDERICUM PUSTET  
S. Sedis. Apost. et S. Rituum Congr. Typogr.

**NEW YORK**  
52, Barclay Street.

**CINCINNATI**  
436, Main Street.

**IN GERMANIA**

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr.  
Typogr.

**RATISBONAE in BAVARIA**

**IN CANADA**

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

**MONTREAL**

1699, Rue Notre-Dame.

**RERUM INDEX**

|   |                           |
|---|---------------------------|
| SOCIIS MONITUM . . . . .  | V. U.                     |
| QUID HUMANO GENERI EX ANARCHISMO ? . . . . .                            | Senior.                   |
| DE M. MINUCII FELICIS « OCTAVIO » . . . . .                             | A. Sordet.                |
| DE LEGALITATE COEMETERIORUM CHRISTIANORUM . . . . .                     | Ex ineditis M. Armellini. |
| DE SANCTI LAZARI INSULA VENETA . . . . .                                | Forfex.                   |
| MARIA VULTUILLAE MONTIS CUSTOS . . . . .                                | F. X. Reuss.              |
| HOMINUM FASTIDIA . . . . .  | P. Alexis.                |
| COMMUNIA VITAE. - Latinitati utile, recens, vaporitraha rapiente, iter. | H. D. V. Pieralice.       |
| DE HOROLOGIS . . . . .  | G. P.                     |
| ANNALES . . . . .   | Poplicola.                |
| LIBRORUM RECENSIO . . . . .   | P. Angelini.              |
| AENIGMATA . . . . .   | A. Morchio.               |

*In tertia operculi pagina:*

|  |             |
|--|-------------|
| PER ORBEM . . . . .  | Viator.     |
| VARIA: Chartae usus. - Nova via ferrea Orbi compar. - Formicis<br>unde incommodis exterminium. - Ioci. . . . . | P. d. V.    |
| EPISTOLARUM COMMERCIO . . . . .  | A secretis. |

**ROMAE**

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MCMI

# COMMENTARI "VOX URBIS", INDICES SINGULI

## XII num. ann. IV.

Victis atque victoribus quae sit in coloniis fortuna - P. ROSSANI.  
De humaniorum litterarum progressu post recentissima physicorum incrementa - Ex scriptis MAURI RICCI.  
De disciplinis pueris traditis apud Romanos - G. P.  
Par viatorum - De vita humana meditatio - FR. X. REUSS.  
Ex Americis - De urbe Pittsburghensi - H. DOSWALD.  
Sapientum inventa - Sol in servitatem redactus - Vita in metallis. - M. LANI.  
De Clasio poeta - v. u.  
Adamantum fulgidissimae gemmae - A. COSTAGGINI.  
Arabum mores - A. VIEILLOT.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Librorum recensio - X.  
Aenigmata - FR. PALATA.

### In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Interdum quanti sit induere vestes alienas* - Ioci - P. d. V.

## XIII num. ann. IV.

De Russorum imperio - D. LASCARIS.  
Civile liberalium artium officium - I. ANTONELLI.  
De sancto Paulino poeta - I. LEMETTE.  
De urbe Propertii natali - FORFEX.  
Custos Massiliensis Maria (*Notre-Dame de la Garde*) - FR. X. REUSS.  
Ex Caledonia - De studiorum Universitate Glasguensi - SCOTUS.  
Beati Angelici Faesulanus tabula Petrum apostolum referens Christianos admonentem - LAELIUS.  
Populare Helvetiorum theatrum - A. COSTAGGINI.  
De nuperis effossionibus cretensis - G. P.  
Aloisii Clasii «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.  
De americanarum rerum ostentu ad urbem Uropolim - I. De urbe Uropolitana Buffalo - H. DOSWALD.  
Arabum mores - A. VIEILLOT.  
Annales - POPLICOLA.  
Aenigmata - FR. PALATA.

### In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.  
Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Rhinoceros albus* - Ioci - P. d. V.

## XIV num. ann. IV.

Ad «Praeconem Latinum» - N. CAPO.  
De subtiliore latinae orationis cognitione - A. CIMA.  
Pax! - A. M. CERASOLI.  
Latinae adnotatiunculae - Maurus Riccius Ioanni Taddeo - Ex scriptis M. RICCI.  
Oratio ad discipulos gymnasi habitu studiis absolutis - I. WABNER.  
Ab Helvetia ad Nordicum caput - LAELIUS.  
Collectiones et collectores - H. D. V. PIERALICE.  
De polari vertice attingendo - A. COSTAGGINI.  
Aloisii Clasii «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.

Frustula - FORFEX.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Aenigmata - FR. PALATA.

### In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *De niratis scitamentis* - Ioci - P. d. V.

## XV num. ann. IV.

Australiana civitates iure dominii communicae constitutae - P. ROSSANI.  
De pronuntiatione et studio linguae latinae - H. P.  
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARMELLINI.  
Uvae cornuta origo - H. D. V. PIERALICE.  
Theatrum olympicum Vicentinum - LAELIUS.  
De liberalium artium fato in futura publica re - I. ANTONELLI.  
Alexander Botticellius - A. COSTAGGINI.  
Communia vitae - De salutatione - P. ALEXIS.  
Aloisii Clasii «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.  
De «phototherapy» - FORFEX.  
Arabum mores - A. VIEILLOT.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

### In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.  
Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Ioci* - P. d. V.

## XVI num. ann. IV.

Leoni XIII Pontifici Maximo - R. REYES.  
Consociationum vires quomodo exerenda - I. TONILO.  
De Cassio Severo I. MARRA.  
Athenaea et auditores in America - SENIOR.  
Fr. Angelici Faesulanus tabula Deiparam in caelum evectam referens - X.  
Recensaëria navigationis progressus - M. LANI.  
Vita functi viri clariores - I. F.  
Theatrum Marcelli - ROMANUS.  
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARMELLINI.  
Aloisii Clasii «Lusus Pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.  
Ex Istria - L. P. MICROVIR.  
Frustula - FORFEX.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Librorum recensio - P. ANGELINI.  
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

### In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.  
Per orbem - RUFUS.  
Varia: *Quaenam innocentibus culpa, consensu gentium confirmata?* - Ioci - P. d. V.

## XVII num. ann. IV.

De diebus festis apud Germanos - P. ALT.  
De Probae Falconiae Vergiliano centone - M. BELLII.  
Lapursum - F. X. REUSS.  
Graeca in Aegypto papyra reperta - N. CAPO.

De Augusteis navibus in lacu nemorensi demersis - H. D. V. PIERALICE.  
De «Cymatologia» - FORFEX.  
Aloisii Clasii «Lusus Pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.  
De Cassio Severo - I. MARRA.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Aenigmata - DIGAMMA.

### In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Telemetrum acousticum* - «Helladotherium» recens inventum - Ioci - P. d. V.  
Libri recens dono accepti.

## XVIII num. ann. IV.

Agrariae Australianae leges - P. ROSSANI.  
Defabula Milesia, quae inscribitur «Quo vadis?» cum Manzonii «Sponsis» comparata - A. CIMA.  
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARMELLINI.  
De Augusteis navibus in lacu nemorensi demersis - H. D. V. PIERALICE.  
Nicolai Machiavelli sententiae de publicis vetigibus - Latine reddidit C. DEHÒ.  
Dureri tabula Iesum infantem referens cum doctoribus disputatem - LAELIUS.  
Napoleonis gens - I. ANTONELLI.  
Ephebi canentes, quos Lucas *della Robbia* expressit - X.  
Maris profundum - M. LANI.  
Aloisii Clasii «Lusus Pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.  
Vita functi viri clariores - I. F.  
De primo chartae fabro - A. COSTAGGINI.  
Annales - PROPOPPLICOLA.  
Aenigmata - P. GARRONE.

### In tertia operculi pagina:

Per orbem - FORFEX.  
Varia: *Feles tabellarii - Lavantur et albescunt Aethiopes* - Ioci - P. d. V.  
Epistolarum commercium - A SECRETIS.

## XIX num. ann. IV.

Sociis Monitum - V. U.  
«Alcoolismus» - SENIOR.  
De Cassio Severo - I. MARRA.  
Nova, novo saeculo, ingenuis artibus spes - I. ANTONELLI.  
Venatio Cavensis - M. GALDI.  
De Senis, urbe clarissima - N. CAPO.  
De scriptoribus optimis imitandis - D. MANCINI.  
Communia vitae. - Latinitati utile, recens, vaporitraha rapiente iter. - H. D. V. PIERALICE.  
Ad Australem Polum nova suscepta itinera - M. LANI.  
Wilhelmus Mac-Kinley - I. F.  
Annales - PROPOPPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Librorum recensio - P. ANGELINI.  
Aenigmata - F. PALATA.

### In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Acrior grandinis, nimborumque profigator. - Primus mutos eloquium docens* - Ioci - P. d. V.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra itallam:  
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

## SOCIS MONITUM

*M*EMINERINT socii, qui nondum subnotationis pretium solverint, kalendas Novembres fatalem esse diem constitutum ut sorti committeretur praemium ad studia provehenda, tot aureis nummis constans, quot summam mille libellarum (francs) aequent.


Quia, Cicerone docente, "utilitas honestate dirigenda est", qui commentarium insoluto pretio ad illam diem retinuerint, praemium adeundi iure, ac deinceps ipsa commentarii lectione, privabuntur.

V. U.

## QUID HUMANO GENERI

EX ANARCHISMO?

*T*AEDET me argumenti huius, quod universum terrarum orbem lugubri nuper fama occupavit, sublatu per necem viro, Mac-Kinley, qui foederatis praeerat Americae Septemtrionalis civitatibus, consensu votoque populi accitus. Constitueram enim, quae iamdiu hac de re profitebar animo et corde alto versabam, constitueram, dico, silentio premere ac taciturnitate celare, neque diuturni silentii, quo utebar, finem casus attulisset ullus, nisi me optimi viri movisset auctoritas, ut ea proferrem hoc in tempore, quae sentirem. Quae quidem cum nihil habeant privato cuivis homini contraria, omnia vero in commune bonum intenta, lectribus commentarii nostri libenter subiicio, quae dicenda mihi, illis autem consideranda gravius et perpendenda videantur. Et quoniam Aristotelicum illud in philosophia de comparandis notionibus laudatur, nihil esse in intellectu quod non fuerit in sensibus, contrarium huic effatum, in quo moralis sapientiae aedificium totum stat quantum est, recordatum hic ipso in vestibulo cupio; scilicet nihil esse circa malum, bonumve in patratis, quod in intellectu antea non fuerit, quippe nil volutum nisi ante praeconitum.



Hinc igitur fit ut « anarchismus », qui in praxi totus est, non voluntatis impetu repentinio, sed intellectu perversa moliente diuturnis meditationibus fulciatur. « Anarchico » itaque personata sunt vulnera, quae, nomarum instar,


intima exedunt animae rabie et odio atrocissimis, nec placari possunt nisi totius generis humani sanguine effuso. Quaevis enim societas, a domestico familiae consortio ad civiles usque et politicas societas, patremfamilias, magistratus, regem aut praesidem habeat necesse est; nam cum omnis societas numero constet, numerus sine prima unitate, a qua oriatur, vel in quam ascendat unam a pluribus, mathematica necessitate esse non potest. Qui igitur de primo illo iugiter exterminando sententiam amplexus est, singulos exterminaturus omnes et universos ad ultimum delebit. Quid denique si deletis omnibus, unus ipse remauserit? Si constare sibi voluerit, quum sit unus toto ex genere, et idcirco primus, violentas sibi inferet manus.

\*

decernebatur, numerabantur adscripti, mitabantur sortes, sicariorum, urna iudice, nomina recitabantur, auri argenteique vis pro percussoribus comparabatur ut in Europam regicidio imbuti venirent, ut, nulla fugante inopia, opportunitatem loci ac temporis ad consummanda pariciebantur.

*Ah!, tua res agitur, paries dum proximus ardet!*

Vidistis quidem Europam augusto suorum sanguine respersam, audivistis gemitus miserabilis gentium nostrarum, et non cogitastis vi perinam anarchismo esse indolem, quae alienos quamvis perimat, nihil tamensecius inexplebilis, nec suis, nec sibi pareit, hospitium pugione rependens. Ubi rursus, anarchismo iubente, urna versabitur, cuiusnam ex praesidibus, ex principibus, ex regibus, ex imperantibus iterum periclitabitur vita?



Iamque ex hisce patet « anarchiam » esse bellum atrox et nefarium pugnam adversus Deum, qui reapse et rerum vi primus est omnium, et in quem omnia convergunt; et cum lex, auctoritas, mores, ius, fas, quidquid homines demum ligat atque disponit, ab ipso sint, et (velint, nolint homines) auctore illo iugiter perseverent, qui legem, auctoritatem, ius, fas, religionem, ordinem rescindere omnino velle se profitetur, homicidii simul et sacrilegii sibi notam inurit. Est ergo Satanicum aliquid in anarchismo, quod verbis explicari non possit, quod vix mente concipere, quod vix in parte summa et obvia considerare possimus, abyssum subter hiantis nequitiae scrutari penitus nequeamus.

Profecto Catilinarium impendens urbi discrimen tantum non fuit, quantum nunc ex anarchismo periculum impendens orbi terrarum. Vigilantem saluti omnium tunc Roma Ciceronem habuit, quem Patrem Patriae ob servatam Rempublicam appellavit; ego nunc Ciceronem non video incolumitati humani generis consulentem et prospicientem, immo timeo ne somnaculosi nonnulli sint, plures dormitent, plurimi dormiant. Quos, cum horrenda expergefecerit dies et haerentes ingulo muerones morituri recuperent, et volitantia circum undique tela et incendia respexerint, pigebit negligentiae, pigebit socordiae, sed frustra pigebit. Neque aliter iudico arsisse dolore fatali vulnere indutum virum, cuius caede horrescens haec scribo, neque aliter audio populos regionis illius tanto capite, prout ipsi sibi elegerant, orbatos ardere, ac truculentae ultiōis desiderio flagrare extra citraque legem laniana feroci et subita absolvendae; sed quanto rectius, quanto utilius si opportuno tempore diligentes coeruerissent homines anarchismo addictos, et belluina illa ad Patterson coacta disiecissent late concilia, in quibus de Carnot, de Elisabeth, de Humberto trucidandis,

Atqui publice a diariis feruntur nomina designatorum ad caudem, quibus ego non credarem, nisi patrata suaderent; nam, praedicta legens, et patrata cernens, complenda colligo. Atque utinam opinio me fallat, neque videam easdem ineunte sententias multitudinem populi concitatam, homines, ut ait Librorum Liber, « sua in aeternum libertate hinc deceptos », inde « velamen malitia habentes libertatem »! Qui, cum « honores quos tranquilla republica desperant » — Tullii verbis utor — « perturbata consequi se posse arbitrentur », inopes alliciunt oblatis pecuniosorum divitiis, ut socialismo dent operam, cuius est aliena auferre, et quae divitum sunt viritim per populum distribuere; socialismus autem ubi se addixerint, in anarchismum inducent, proposita et pollicita libertate, auctoritatis et legis vel nomine simul deleto. Libertatem autem esse dicunt, non potestatem et facultatem illam et ius, quo liceat homini bonum agere quominus prohibeatur, sed facultatem et ius patrandi quidquid libuerit. Itaque rem ab intellectus dominatione in voluntatis arbitrium adigunt, neque illud agendum quod rectum sit iubent, sed quod placitum iucundumque videatur.



At quid homines huiusmodi suadere possunt, Numine altius et absolute proclaimante « non occides, non furtum facies, rem non desiderabis alienam »? Profecto nihil, si populis religio haereret, si timor Domini, sapientiae omnis initium, familias, oppida, civitates regeret, et quasi rerum summa ratio dominaretur. At facile ut essent liberi, Deum inter fabulas amandarunt, amandantibus autem gentes acquiescunt. Itaque cardine illo triplici subverso, cui quantum est

innititur humanum genus — Deo, vita, re familiari — bellum civile horrendum teterimumque conflabitur, quod nec pietas, nec religio temperabunt, nec caedibus pareat manus, nisi antea penitus hoste restincto. Aliquid erit longe truculentius furoribus Sullanis et Marianis, longe ferocius proscriptionibus Antonianis, longe atrocis et implacabilis odiis, quae XVIII labente saeculo Galliam excidiis ubique vastarunt. Dies erunt « quales ab initio, non fuerunt usque adhuc, et felices praedicabantur steriles, et beati qui dormiere in sepulcris »! Hi erunt illius pugnae dies in clangore tubarum et subversione urbium, in vastatione agrorum et incendio rerum, in romphaea scrutante domos, in clamoribus fugientium, in conviciis occidentium, in calamitatibus ineffabilibus, in aerumnis et angoribus et terroribus, quorum a consideratione refugit animus, dum stupens in narratione lingua fatiscit. Et postquam ad ultimum pugnatum erit, cuinam infelix Victoria?... Ac tamen tum ex vitoribus tum ex victis quot supereurrent? Et eos, qui superfuerint, qualis manebit sors?... Nolo lugubri carmine prophetiam deducere; at ii, quos gentibus praeponuit Deus, videant, caveant, consulant, prospiciant.

SENIOR.

DE M. MINUCHI FELICIS "OCTAVIO"<sup>(1)</sup>

**A**UREUS quidam exstat libellus, tertio post Christum natum saeculo, religionis tuendae causa conscriptus, plerisque eiusmodi ante editis, tum delectu argumentorum, tum praesertim sermonis elegantia praestare visus. *Octavium* dixi, olim quidem operibus annumeratum Arnobii, iamdudum vero, ipsius genuino parenti M. Minucio Felici restitutum.

Pauca quidem de ipso M. Minucio Felice licet proferre; quidam enim eum ex eius scribendi ratione Africanum suspicati sunt, at vero aliis quoniam modo huius tam comptus sermo africanam illam scribendi veluti asperitatem redoleret, minus perspectum fuit. Constat inter omnes Minucium munere causidicum extitisse romanum. Legitur enim apud Lactantium (2): « Minucius Felix, non ignobilis inter causidicos loci fuit »; apud Sanctum vero Hieronymum (3): « Minucius Felix Romae insignis causidicus » et (4) « Minucius causidicus Romani Fori ». Nec eum propterea causidicum putemus appellatum, quod operam dederit religioni christiana tuendae; sed eumdem veri etiam nominis fuisse causidicum, id est Saneti (ut vidimus) Hieronymi testimonio assertum est, et totius libri, seu dialogi, decursu comprobatum.

At forsitan quis requiri: Decuit ne christianum virum causas actitare eorum, quos ethnici vocant? Ne id cuiquam mirum videatur. Numquam enim christiani sua munera, officia, dignitates una cum ethnorum superstitione abiicienda duxerunt; verum, per totum orbem diffusi, ceterisque populis commixti, rebus quibusque publicis negotiisque interesse, solo deo-

(1) Minicianas quaestiones in *Voice Urbis* agitavit iam FELIX RAMORINO: confer itaque eius scripta an. I n. III; an. II n. II, V.

(2) *Div. Iust.*, V. 1.

(3) *De viris illustr.*, 58.

(4) *Ep. ad Magnum.*

rum cultu excepto, solebant. Qua de re, Tertullianus (1): « Hesterni » — exclamat — « sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatum, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa ».

Conscriptum fuisse hunc dialogum tertio fere saeculo iure creditur; utrum vero Septimio Severo imperatore, an Alexandro, certo non constat. Iis potius assentiam, qui hunc in lucem prodiisse libellum sub Alexandri Severi imperio existimant. Hic quidem quantum faverit christianis, omnibus compertum est. Fertur enim eius palatum christianorum fuisse plenum, quin etiam de templo cogitasse Christo extrinendo narratur. Iamvero, clementioris huius in christianos animi signa reperi nequaquam dubia in *Octavio* nullum effugiet. Procul dubio, ab auctore nostro ethni corum crudelitas in christianos minime tacetur, sed eius rei mentio habetur tam quieta, verbisque expressa tam remissis, ut de re praeterita locutum esse magis quam de praesenti facile intelligas. Atqui, non illa profecto mentis serenitate fratrum supplicia retulisset ac caedes, si tunc temporis atra desaevisset persecutio. Quare non sub Septimio Severo, christianis infensissimo, sed sub Alejandro editum esse hunc librum putamus. Huc etiam illud videtur pertinere quod S. Hieronymus Minucium, medium Tertullianum inter et S. Cyprianum recensuerit.

Clarissimum auctorem christianam fidem professum esse res ipsa docet; non enim priscae superstitionis sectator christianorum religionem suscepisset defendendam. Attamen provectioris iam fuit aetatis cum se Christo adiunxit; de re enim ipse testatur (2): « Cum discussa caligine, de tenebrarum profundo in lucem sapientiae et veritatis emergerem, non respuit (*Octavius*) comitem, sed, quod est gloriosius, praecurrit ». Simil atque Christo nomen dedit, veritatis praecomen se vindicemque invictissimum praebuit. Dialogum itaque elucubratus est in duas partes distinctum, quarum in altera Concilii cuiusdam pro ethni coris, in altera vero Octavii pro christianis refertur oratio. Inscriptis autem librum *Octavii* nomine, Platonem imitatus ac Ciceronem eiusmodi dialogos illius appellatione vocare solitos, qui partes ibi ageret potiores.

Utriusque autem partis argumentum iuvabit proprius inspicere. Primum quidem quae huius se colloquii dederit occasio, Minucius commemorat. Negotii scilicet cuiusdam gratia, Octavius, eius amicus, Romam venerat. Transactis nonnullis in dulci sermone conserendo diebus, placuit iis Ostiam petere, quo in loco marinis balneis languida membra recrearent. Quis hic fuerit Octavius, iam innui; erat enim et vir ille felix Christi fidem recens amplexus et olim in causis dicendis versatus: ita loquens inducitur (3): « Nos tamen cum sacrilegos aliquos et incestos, parricidas etiam defendendos et tuendos suscipiebamus, hos (christianos) nec audiendos in totum putabamus ». Comitem autem sibi adsciverunt Caecilium quemdam, ortuni fallor, Africanum; namque (4) Frontonem

(1) *Apologet.*, 37.

(2) Cap. I.

(3) Cap. XXVIII.

(4) Cap. IX.

« Circensem nostrum » appellat. Dum simul ad mare contendunt « Caecilius, simulacro Se rapidis denotato, ut vulgus superstiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis impressit ». Quod animo non aequo ferens Octavius, his Minucium increpat: « Non boni viri est, Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo inhaerentem sic in hac imperitiae vulgaris caecitate deserere... » tam enim sacrilegae ignorantiae dedecus non minus ad Caecilium, quam ad Minucium pertinere. Interea ad apertum litus cum pervenissent, tum pulcherrimo locorum adspectu, tum incundissimo spectaculo delectati sunt « puerorum certatim gestientium testarum in mare iaculationibus ludere ». Quem ille lumen ita eleganter describit, ut subiectus oculis tibi ipse videatur. Est profecto quod miremur huiusmodi picturam paene poeticam libro insertam controversis referto, maxime si austrem illud nudumque dicendi genus attenderimus eorum, qui ante floruerant, scriptorum christianorum. Meminerimus autem litteras christianas profanae doctrinae cultum et ornatum non raro consecitari. Formati enim persaepe ad optimas artes in scholis publicis, auctores sacri in dicendo scribendoque morem ethni corum elegantiore ad fidei defensionem non pauci adhibebant, Iudeos imitati, qui erpta Aegyptiis vasa, profanis usibus impensa, divino cultui addicere non dubitabant.

Verum, spectaculi illius voluptate Caecilius nihil commotus, tristis videbatur. Quid causae esset cur doleret a Minucio interrogatus, obiurgationem Octavii esse fatetur, quae se substristem redderet. Petit itaque ut sibi cum Octavio de sua religione disputare liceat, quod quidem ille toto capite annuit. Considunt ergo tres amici, medius autem Minucius, in mole in altum procurrente.

Tum suae Caecilius religionis tutelam suscipit, criminis christianis coniiciens, quaeque absurdia horrendaque a falsorum numinum cultoribus circumferebantur. Exordium controversia ducit a Deo rerum omnium conditore ac moderatore; est enim hoc nostrae fidei « dogma », ceterorum quasi fundamentum. Quid de hac re prisci senserint philosophi nemini ignotum esse puto; horum sententias primum refert Caecilius. Cum tanta esset opinionum diversitas, forte quaeret quispiam cur Minucius noster solum Caecilium eas propugnantem induxit; ex hoc enim illud consequitur, ut idem ille partes implere beat plurium inter se dissidentium, nunc scepticorum, nunc epicureorum, nunc eorum, qui deos patrios cuique colendos esse dictabant. Recte nihilominus id a Minucio excogitatum puto; nihil enim magis usui ac mori philosophorum erat accommodatum, quam plures simul easdemque oppositas sententias tenuisse.

Primum igitur partes agens scepticorum, omnia in rebus humanis dubia esse asseverat (1): « Cum tantum absit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque quae supra nos caelo suspensa sublata sunt, neque quae infra terram profunda demersa sunt, aut seire sit datum, aut scrutari permissum, aut suspectari religiosum; et beati satis satisque prudentes iure videamus, si secundum illud

(1) Cap. V.

vetus sapientis oraculum, nosmetipsos familiarius neverimus ». Atvero, si quaestionibus implicari difficultioribus, nec viros doctissimos deceat, quam ridiculum est et stultum, christianos, rudes (uti fere sunt) homines atque sine litteris, veritatem se assecutus esse confidere. « Itaque indignandum omnibus, indolendum est audere quosdam, et hoc studiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium etiam sordidaram, certum aliquid de summa rerum ac maiestate decernere, de quae tot omnibus saeculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa philosophia deliberat » (1).

Scepticum audisti, epicureum attendas. Negat modo ille ulla hunc mundum Providentia gubernari; contra, acriter contendit omnium rerum semina ab aeterno exstisset, « fortuitis concursionibus totius mundi membra coalita, digesta, formata » esse; hominem, sicut animal quodlibet, elementorum concretione nasci et eorumdem dissolutione mori, « nullo artifice, nec iudice, nec auctore ». Haec quidem et alia de rebus naturalibus; si autem de hominum moribus loquatur, nec eorum quae quisque aut bene aut male egerit rationem haberet, sed eamdem cum optimos tum pessimos sortem manere deprehendit. « In naufragiis, bonorum malorumque fata mixta, merita confusa; in incendiis, interitum convenire insontium nocentiumque... Quod si mundus divina Providentia et alicuius numinis auctoritate regeretur, numquam mereretur Phalaris et Dionysius regnum, numquam Rutilius et Camillus exsilium, numquam Socrates venenum » (2).

Postquam vero de omnibus dubitandum esse docuit, rerum tamen originem inquirere, quin etiam statuere non dubitat. Nec mirum; nam quis umquam scepticus sibi semper constitit? Dubio enim universo ipsa hominum ratio adversatur, nec patitur quemquam eo usque dementiae venire, ut in illa insanabili dubitatione quiescat.

Tum, nulla interposita mora, scepticus ille, qui de Deo inquirendo curam haberi vetat; idem ipse epicureus, qui amandare e mundo Providentiam satagit, diligentissimus patriarchum deorum cultor evadit. Numero credideris horum numinum cultui non aliud fundamentum supposuisse Caecilium, nisi hanc ipsam de omnibus dubitandi doctrinam? Attamen apertis id verbis habet: « Cum igitur, aut fortuna certa, aut incerta natura sit, quanto venerabilius ac melius antistites veritatis maiorum excipere disciplinam, religiones traditas colere; deos, quos a parentibus ante imbutus es, timere, quam nosse familiarius, adorare; nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere, qui, adhuc rudi saeculo, ipsius mundi natalibus, meruerunt deos vel faciles habere, vel reges! Inde adeo per universa imperia, provincias, oppida videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, et deos colere municipes ». Verbo, errores cuique sequendi sunt maiorum, siquidem veritatem adipisci nullus valeat. Quocirea auspicia atque auguria in summo honore habenda esse decernit, additque haec quando integra fide fuissent observata, prospere res semper Romanis processisse; sin autem ne-

gleeta, in summam desperationem devenisse, quod petitis ex historia exemplis cuique notissimis Octavio conatur suadere.

Illa vero omnia in mentem reducunt memoriam celeberrimi illius philosophi, de iisdem rebus disputantis, M. Tullii Ciceronis. In libris duobus, quorum alterum *De divinatione*, alterum vero *De legibus* inscripsit, anticipitem et hic gerere personam non recusavit. In priore deridet philosophus, quod in posteriore politicus summa ope defendit; in illo, quae ad tuendam divinationem afferuntur argumenta implacabilis explodit; in isto, nihil iure augurum maius aut pulchrius inveniri contendit. Simili ratione, de natura Deorum disserens, Cotta ille academicus (sub cuius nomine Tullius latitat) ipsa religionis fundamenta conatur convellere, testatus nihilominus detrahere se nihil velle de veneratione deorum, quinimo plurimi facere quaecumque de diis colendis praecepta a patribus ante tradita essent (1). Multitudinis igitur cohibendae causa, priscam superstitionem etiam ii defendebant, qui quam falsa esset optime noverant.

Verum, ad Caecilium redeamus. Si nec ullius philosophi, inquit, deos negantis ferenda est impietas, multo sane minus christianorum « de ultima faece » collectorum, non sacris sed piaculis foederatorum. Hos tanto impetu lacessit, ut vix verba suo despectui significando paria reperiatur: « Latebrosa et lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula; tempa, ut busta, despiciunt; deos despunt, rident sacra, miserentur miseri, si fas est, sacerdotum honores et purpuram despiciunt ipsi seminudi. Pro mira stultitia et incredibili audacia, spernunt tormenta praesentia, dum incerta metuunt et futura, et dum mori post mortem timent, interim mori non timent. Ita illis pavorem fallax spes solatio redivivo blanditur » (2).

(*Ad proximum numerum*). A. SORDET.

## DE LEGALITATE

### COEMETERIORUM CHRISTIANORUM

**R**ELIGIOSA libertas, de qua disputavimus, non solum Iudeos spectabat, sed etiam illos, qui eorum sectatores fiebant, qui ideo « proselytae » appellabantur. Hi quidem in dies tum crescebant, cum animi iam parati essent in omnibus civitatibus imperii, et maxime Romae. Eo enim pervenerat corruptela et depravatio publica, ut animi nobiliores taedio affecti, melius quidquam quaererent extra turpissimum illud « politeismum ».

Sectatores illi in duas classes dividebantur; alii enim erant, « proselytae iustitiae » vocati, qui veri et perfecti Iudei ex religione manebant, derelinquentes patriae institutiones, more iudaico omnino viventes et pondus paene intolerabile sustinentes omnium legum et praescriptionum iudaicarum.

Erant autem alii qui dicebantur « proselytae portae » seu « timentes Deum » (4), quorum in

dies multitudine frequentior fiebat, maxime inter viros nobiles et clarissimos, et in ipsa domo Caesaris. Horum lex in eo posita erat, ut idolis renunciarent, ad legis naturalis observantiam sese obstringerent, et ab usu carnium abstinerent, maxime a sanguine et suffocato (1).

Sed enumerabantur quoque tertiarii quasi proselytae istius iudaicae religionis, quibus, et iis etiam late diffusis, a quibusdam animalibus abstinentia velut signum erat, ex quo publice dignoscerentur.

Atqui Christi fideles coram lege quasi habebant proselytae « timentes Deum » et ideo libertatem illam obtinuerunt, qua gaudebant non modo proselytae iudei, sed etiam gentiles.

Et plures etiam inscriptiones confirmant proselytismum iudaicum inter gentiles in ipsa Roma. In celeberrimo coemeterio iudaico in vinea Randanini ad viam Appiam repertae sunt inscriptiones, quae ad proselytas utriusque classis inter romanos spectant. Iustitiae sese refert haec inscriptio Orelliana (2522): VETURIA PAULA . . . . .

PROSELYTA AN. XVI NOMINE SARA MATER SYNAGOGARUM CAMPI ET BOLUNNI.

Pola autem in Istria reperta fuit alia haec inscriptio, quae ad proselytas secundae classis pertinet: AUR SOTER ET AUR STEPHANUS, AUR SOTERIAE MATRI PIENTISS. RELIGIONI IUDAICAE METIENTI (2). De ipsa Poppaea, uxore Neronis, testatur Iosephus Flavius (3) fuisse mulierem « timentem Deum »: Θεοτερης γενεσιν (4).

Haec pax turbata tantum fuit a persecutione Neronis, sed, Caesare illo mortuo eiusque memoria damnata, fideles circiter tringa annos, pace et libertate usi sunt, et etiam, Domitiano vita functo, sub quo Ecclesia persecutionem passa est, imperatore Nerva, ait quidem scriptor: (*De mortibus persecutorum*, C. III, 6): « rescessis actis tyrannis non tantum in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit ».

Sed haec ad historiam persecutionum attinent; redeamus ad coemeteria.

Iudei ergo cum viderent Christianos reputari ab ethnici tamquam eorum parentes religiosos et quasi sub umbra sinagogae sese abscondi, eos magistratibus indicarunt, ac deinde ante plebem calumniati sunt, dicentes ex sinu eorum produisse novam ac pernicioseissimam superstitionem, quae nihil aliud esset, quam professio « atheismi ». Haec iudaica calumnia finem consecuta est; inde persecutions originem duxere contra fideles « reos atheismi et impietatis » habitos.

Ea circiter aetate propter auctum fidelium numerum eorum sepultra et areae amiserunt paene formam simplicis primitivi sepulcri, ac privati; iamque erant coemeteria publica Christianorum, quae Ecclesia suo nomine possidebat, et in quibus sacrae synaxes habebantur.

Sed heic videre occurrit quomodo coemeteria Ecclesia posset saeculis secundo et ter-

(1) Cum Seneca adhuc adolescens Alexandriæ Sotionis Philosophi scholam frequentasset scribit sese abstinuisse ab usu carnium (Ep. 108). Pater Senecam filium arguit ut ab illa abstinentia cessaret: « Patre itaque meo rogante, qui calumniam timebat, ad pristinam consuetudinem redi, nec diffulter mihi ut inciperem melius coenare persuasit ».

(2) ORELLI, 2523.

(3) Cfr. *Antiquitates*, XX, 8.

(4) Horatius Flaccus ipse in Satyris ait amicum suum Fuscum Aristum esse, « unum multorum ».

tio possidere, et in illis sacras has haberi synaxes.

Ex historia populi romani et ex immensis monumentis et inscriptionibus certum est floruisse Romae magnum numerum sodaliorum, quae collegia dicebantur (1), diversissimae prorsus naturae: alia enim omnino saera erant, ut initio collegia Pontificum, Augurum et Vestalium; erant autem collegia, quae instituta fuerant ad honorem reddendum, seu ad colendum aliquod numen, unde sodales dicebantur « cultores » (*Iovis, Herculis, Apollinis*, etc.). Erant praeterea collegia artificum et mercatorum.

Haec facultas civibus romanis tributa « ius coeundi » appellabatur, et sub tutela huius iuris collegia ista sese multiplicaverunt in infinitum, ita ut Iulius Caesar contra nova collegia leges ediderit. Quod si ista collegia a legibus non fuissent recognita, habebantur illicita, et crimen sodalium dicebatur « coitionis illiciae ».

Atqui inter tot collegia et sodalicia classis comprehendebatur « sodaliorum funeraticiorum », cuius erat finis honestam sepulturam sodalium curandi. Corpora enim eorum qui seculerum parare sibi nequierant deponebantur in horridis Esquilini puticulis permixta cadaveribus animalium (2). Inde locus ille, seu campus Esquilinus horribilis erat visu et insalubri aere; qua de causa Maecenas, Augusti amicus, illa puticula delevit, ibique villam suam condidit. Unde Horatius ipse:

..... qua modo tristes  
Albis informem spectabant ossibus agrum,  
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus.

Sed ne ab collegiis funeraticiis longius abeamus, de his saepe mentio fit in inscriptionibus saeculi secundi et tertii aetatis nostrae. Ita ex. gr. cum recens foderetur Esquilinus mons, in lucem venit columbarium « libertorum statilio- rum », ubi lapides ibi reperti nobis « Collegium commorientium » revelarunt.

Aliquando ista collegia nomen accipiebant ex loco ubi coetus fierent: itaque legimus in quadam inscriptione: « Collegium quod est in domo Sergiae Paullinae », quae fuit filia Sergi Pauli consulis anno centesimo quinquagesimo; et in scriptio alia memorat « Collegium quod consistit in praediis Larchi Macedonis ».

Traianus imperator fuit sodaliciis omnibus infensissimus suisque edictis abolere voluit et illicita declarare collegia et sodalicia imperii, facta etiam lege contra « eterias »; quae vox respondet anglico vocabulo *clubs*. Exceptio tamen facta est pro collegiis funeraticiis pauperum; ut Marcianus docet: « Permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coeant ». Constitutiones enim horum sodaliorum, quae nos statuta *organica* dicimus, « lex collegii » dicebantur, et huiusmodi erant: Collegii praeses « magister » dicebatur, sodales « cultores » appellabantur; loco in quo coibant « schola collegii » nomen tribuebatur, Lex autem Collegii praecipua in eo erat ut « stipem menstruam arcae communi sodales conferrent » (3). Qui collegii particeps esse

vellet, alias inter conditions, debebat solvere boni vini amphoram primo et secundo mense ingressus; magister collegii epulum ad celebrandam electionem dabat omnibus sodalibus; et unusquisque sodalium in epulis recipiebat certam mensuram panis ac vini. Si quis ex sodalibus decederet, tunc impensis arcae collegii eius funebria celebrabantur, et in sepulcro communi sepeliebatur, exceptione facta

(1) In verba legis: « Quisquis ex quacumque causa mortem tibi conciverit, eius ratio funeris non habebitur ». Ita ethnici ii veteres de horrendo illo crimine sentiebant.

Ex ineditis MARIANI ARMELLINI.

(2) En verba legis: « Quisquis ex quacumque causa mortem tibi conciverit, eius ratio funeris non habebitur ». Ita ethnici ii veteres de horrendo illo crimine sentiebant.



## DE SANCTI LAZARI INSULA VENETA

**I**NSULA est a Sancto Lazaro nuncupata inter Venetae lacunae gemmas fulgentissima. Haud longo mari ab urbe principe disiuncta, inter hortos apricos, inter olivas crebre consitas huius videt imaginem late placideque in caerulis aquis, quasi in speculo, expressam, locus profecto poetarum animo inflammando. Et sane Georgius ille Byron multum inibi versatus est hospitio utens et schola sodalium Armenorum, qui eam possident et sub titulo « Armenae academiae », iis a Napoleone I Imperatore tributo, congregantur.

Iuvat huius coetus, qui insulam longe excusat, historiam breviter attingere, hoc praesertim tempore, quo dies ab ipso condito CC magnis sollemnibus frequentissimoque hominum concursu celebratur.

Anno enim MDCCII, mense Septembri, Mechitar a Sebaste, humilis Armenorum sacerdos, sibi aliquot homines Byzantii consociabat, ut iuvenes gentis suae una colligerent, instituerent, magistros deinde efformarent, qui in Orientis plagiis doctrinam humanitatemque vulgarent. Tristia tempora religiosaeque vexationes Mechitar suosque ad novas sedes petendas in Peloponnesum coegerunt; inde an. MDCCXV iterum profugae Venetiarum in urbem transmigrarunt, ubi liberaliter ab illa republica excepti, qui iam eius praesidium obtinuerant, post

annos duos, stabile domicilium in insula Sancti Lazarus constituere, monasticam disciplinam Sancti Benedicti, ex ordine Sancti Antonii abbatis amplexati, et ex conditoris nomine *Mechitaristas* sese appellantates.

Brevi Mechitaristarum sodalitas honestissime floruit, et insula Sancti Lazarus bonarum artium et humani civilisque cultus seminarium facta est, quod per Orientem omnem fructus suos diffudit et in Italia singulare industriae, et laboris, et pietatis erga patriam exemplum extitit. Nam si ad efficiendum non opera tantum, sed scripta quoque et doctrina conferunt, iam Mechitar ipse officinam instituit ut libros ad docendum idoneos ederet; quae quidem paulatim et amplificata, et perfecta pluribusque literarum, orientalium praecipue, notis ditata, haud parvi momenti nunc habetur. Nec minoris bibliotheca aestimanda est, quam Mechitaristae sedulo patienterque collegerunt, siquidem in ipsa aetatis et fidei magnae libri manu scripti congesti sunt, verus antiquitatis thesaurus.

Itaque insula Sancti Lazarus Venetiis non una naturae excelsa pulchritudine, sed hominum industria multos apud se allicit et iure delectat.

FORFEX.

(1) Cfr. Mommseni opus *De Collegiis et sodalitatibus Romanorum*.

(2) Cfr. HORATII Sat. I.

(3) Initio saeculi XIX prope Lanuvium inter ruinas thermarum reperta fuit quaedam inscriptio continens legem



Vultuillani templi prospectus exterior.



Vultuillani templi prospectus interior.

MARIA VULTUILLAE MONTIS CUSTOS<sup>(1)</sup>

**N**ON erit abs re breviter hic praemittere, quae de Vultuilla monte traduntur memoratu digniora. Sic facta nonnulla, quae Carmen nostrum describit, plenius intelligentur.

Vultuilla (quod hodie nomen vulgo *Mentorella* sonat, et a vulturibus eo loco non infrequentibus derivatum videtur) montium Tiburtinorum apex est, qui ad metra circiter M aspergit. Hic, uti ferunt, (quae etiam res expressa cernitur in tabula anaglyptica saeculo XII exsculpta) S. Eustachius martyr, dictus antea Placidus, ex ethnico christianus factus est, cervum mirae magnitudinis conspicatus, qui fulgentem Christi crucis infixi imaginem inter cornua gerebat. In eodem anaglypto S. Silvester Papa repraesentatur, dum templum consecrat hoc in monte aedificatum. Ceterum Muratorius diploma affert, in quo, inde ab anno D XCIV, mentio fit «montis Vultuillae de S. Maria». Quae tamen nunc colitur in templo Vultuillano imago Deiparae, Puerum Iesum inter brachia tenentis, opus est, peritorum iudicio, saeculi XII ex ligno quidem affabre sculptum.

Fertur etiam S. Benedictus vitam hic aliquamdiu solitariam egisse, antequam Sublacensem peteret specum, quem parum distantem hinc prospicere licet. Celebre hic olim exstitit coenobium Benedictinorum, inter antiquiora Ordinis recensendum.

Anno rep. sal. MDCLXI, P. Athanasius Kircher S. I., pietate non minus quam eruditione clarus, cum templum Vultuillanum ruinosum reperisset, in idem instaurandum omni studio incubuit. Edidit, hunc in finem, suam *Historiam Eustachio-Marianam*, quam cum passim ad viros misisset auctoritate sive ecclesiastica sive civili praecipuos, largam undique stipem collegit hoc in opus impensam. Instituit praeterea, ut hic quotannis, mense Septembri, sacra «missio» ageretur, cuius uberrimos fru-

ctus, ad alendam christianam pietatem mire efficaces, non semel ipse laetus vidit et desipsit. Affirmat autem, ad duodecim vel etiam quindecim hominum millia consuevisse, per sacros illos dies, arduum montem subire, et ad sacramenta Poenitentiae atque Eucharistiae accedere. Perdurat etiamnunc saluberrima missionis autumnalis consuetudo, opera Patrum Polonorum a Resurrectione, quibus a Pio IX Pont. Max. eura templi Vultuillani coneredita est.

Inter Pontifices Romanos qui B. V. Mariam, ibi venerationi habitam, peculiari cultu prosecuti sunt, eminet Innocentius XIII qui, moriens, iussit cor suum ante sacram Iconem reponi, urna marmorea inclusum, cui haec inscriptio: COR INNOCENTII XIII DE COMITIBUS.

His ipsis diebus, memorata Deiparae Effigies aureo diademate, gemmis distincto, solemniter redimita fuit: qua data occasione, compositum est subiectum

## CARMEN

Tibur extollant alii profanum!  
His Sibyllini Latices, ruensque  
Flumen in præceps, et amata Flacco  
Rura canantur!

Me iuvat Tibur celebrare sanctum,  
Teque metiri pede, Vultuilla,  
Mons sacer, templi procul emicantis  
Ardua sedes.

Heic, ubi tellus propiore caeli  
Gaudet aspectu, colitur Mariae,  
Cui puer Jesus sedet inter ulnas,  
Pervetus Icon.

O pius longa vice saeculorum  
Limen! heic cervum Placidus fugacem  
Insequens, Christi iacuit repente  
Praeda beata.

Heic Deo vixit Benedictus, amplae  
Conditor stirpis, rude donec antrum,  
Alter Elias, prope Sublacensem  
Repperit oram.

Mox eo Samnis, Rutulus, Sabinus,  
Umber et Tuscus didicere crebras,  
Callium spretis salebris, precantium  
Fundere turmas.

Namque, magnetis radiantis instar,  
Huc trahit Christus, trahit huc Maria  
Nostra, quae blandis facile domantur  
Pectora vinclis.

Efficax et te iubar, Innocenti,  
Traxit e Petri cathedra: quiescunt  
Heic tui cordis cineres, tuumque  
Fantur amorem.

At quis autumni referat triumphos?  
Mons ubi gressu trepidat piorum  
Totus, et guttur sonat omne Iesum,  
Omne Mariam;

Plebs ubi sacrae veniae ministros  
Obsidet, mitis legio; vel aliam  
Certat ad mensam properare: turba  
Usque renascens.

O mihi salve, veneranda Imago,  
Gemmeis frontem redimita sertis,  
Quae tibi nuper pietas clientum  
Dona sacravit!

Perge de caelis, bona Mater, aedem  
Hanc tuam vultu placido tueri;  
Limen ingressis pateat superni  
Gratia Regis.

Perge tutari populos agrosque,  
Celsa queis late tua Vultuilla  
Imminet: culpas animis, procellas  
Messibus arce.

Optime de te meritis tuoque,  
Diva, succensis studio Polonis  
Da quod exorant: patriam serena  
Pace fruentem.

Fer tuo demum, fer opem LEONI:  
Impera ventis, quibus icta, Petri  
Cymba iactatur, tumidique ponti  
Ira residat.

FRANC. XAV. REUSS.

(1) Figuræ Vultuillani templi, quae scriptum hoc exornant, excerptæ sunt ex opere, cui titulus: *Memorie storico-critiche del Santuario di Nostra Signora della Mentorella* pel Canonico Prof. GIUSEPPE CASCIOLO. — Edid. Henricus Filiziani (Roma, Pozzo delle Cornacchie 7-8), qui nobis ipsas figuræ ultro obtulit.

## HOMINUM FASTIDIA

**V**ITA hominis vapor est ad modicum parens. Hae in sacris libris. Atque utinam vapor hic ascendens a solo et purus et dignus aethere ascenderet, et luce solis iridesceret, et in pace evanesceret! Paludis halitus saepe turbidus, interdum foetidus hos contagio inficit, illos mortifera obruit umbra, procellis undequaque saevientibus, turbinibus irruentibus quasi monstris dilaceranda praeda, hac illac circumfertur, ac dissipatur. Qua de causa seite, etsi acerbe et vere, vitam dixit philosophus continentem seriem dolorum, exordientem ploratu nascientis, deficiente suprema lacrima morientis. Hinc est illud Horatii:

*Qui fit Moecenas ut nemo, quam sibi sortem  
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa  
Contentus vivat?*

Optime respondet Ovidius, quia *nitimus in  
vetitum... cupimusque negata;* atque ideo nemo  
sua sorte beatus.

Duplex itaque fastidiorum genus, saepe hominibus intolerabilium. Alterum, quod quisque sibi parat sciens, volens, et prudens, immo callidus, diligens, et industrius; alterum, quod singulis, aut sponte, aut ingratiis, ferendum datur, cuiusmodi sunt invidia civium, surditas, caecitas, infirma corporis membra, et cetera naturae, sive nobis intimae, sive nobis externae, mala, denique mors. Hisce nos aut acquiescimus, aut repugnamus, et modo minuimus, modo repellimus vel voluntario exsilio, vel medicamentis, demum patientia, qua levius fit interdum quidquid vel corrigerem, vel abiicere non valemus.

2]

## COMMUNIA VITAE

*Latinitati utile,  
recens, vaporitraha rapiente, iter.*

Quasi una tempus condixissemus ab externis considerandis, retracto e fenestella capite, ad interiora currus circumspicienda venimus. Forfex a dextris habebat hominem corpore grandem, aetate, si vultu habenda fides, quinquagesimo circiter anno proximum, nisi iam biennio, aut triennio praeteriisset. Mihi a laeva villicus (ita ferebant vestes), qui nondum bene conderat, et iam

*plenos perflabat pectore somnos,*

et gravius, quam par sit, veluti profundiores organi calami, stertens insonabat. Transtra omnia currus plena gentibus.

Qui apud Forficem, postquam caute primum, mox animo velut anctus

*ardentes oculorum orbes in singula torsit,  
et bene pacatus nostra agmina circumspexit,*  
manibus sub scamno, quasi in natatum conaretur, perquirens, bulgam satis superque tumentem, Troiani instar equi foetam, non armis virisque, sed esculentis mercibus, inde extraxit, superque genibus collacatam, ritu solemni gravique fronte, quasi publica de re aliquid magnum portenderet, aperuit. Lagonam primo, caput enim haec rei erat, vino rubentem, cyathum inde, quasi filium a matre aut nutrice inseparabilem, taenia lagonae collo alligatum, atque ad latus apposuit. Mox panis molem,

*Argolici clypei, aut Phoebeae lampadis instar,*  
dilaminatam; hanc autem expandit, turcetumque Bononiense in folia, quasi in totidem paginas, alia su-

Amandatis postremis his, quae tamen neque pauca numero, neque exigua mole fastidia sunt, priora illa vitae recensemus fastidia, quae nobis metipsis nos multo saepe studio comparamus, quasi nec multa, nec gravia essent, quae secum rapit mortalis conditio. Quae conditio talis est ut nulla curis actas careat ab ortu ad senectudem et senium. Videamus namque infantulos, etsi lacte expletos, etsi munditie florentes, etsi nutricis inter ulnas et manus et oscula blanditos, nescio de quo dolere, requiem invenire non posse. Quousque tandem? Donec fessi motu, fletuque ipso fessi, somno quiescant.

Atque hic quotidiana praetereo, quae iam ab inde dolore misellos afficiunt, curisque laniant. Quoties famelici, sitibundi materna petierunt ubera plorantes desolati! Quoties vel absentem, vel abeuntem ineffabili gemitu lacrimisque prosequuntur! Quoties, matre blandiente pueris visitantis amicae, palluerunt invidia, zelotypi exclamarunt, et amarissime doluerunt!

Ista quotidie donec pede certo vestigia signent. Tunc puer gestit paribus colludere, verba reddere... felix! qui nescit se brevi abripendum ad scholas, ibique, etsi standi impoti, tamen, seutica docente magistra, horas perpetuas sibi ducendas immobili; ibi vi disset quae nolit, quae repugnet, admittet, et liberi aëris desiderio tabescerent angustae aulae parietes, vitirosus et exiguis aëris enutrit.

Iamque agas in duriora aetum iam per exosa. Gauderet equis, canibusque et apri campi gramine, gauderet exlex, gauderet custode remoto, gauderet... Misera est non habere quae desideras, et horum desiderio perire; magna calamitas est impatienti coercitiones et poenas in-

per alia distributum Iliadis more et Aeneidos, tum suillis bene saginatam ex ovis placentam, tum casei non unam speciem. Quae ubi apposuit sibi, ita tubercinari cepit, ut utraque manus aegre sufficienter capacissimae buccae implenda, et maturime deglumenti, quasi gutture pro voraci ciborum vortice ute-  
retur. Naribus interea dilatatis in opus incumbebat ille truo mirabilis, molari dimidio pane pro trybllo usus, et vino saepius recurrente, puto ne ingestis gula suffocaretur. Atque omnia postquam consumpsit, rursus bulgam perquirere, et inde hausta mala persica, pyra, nuces cum reliquo pane comedere. Nos attoniti mirabamur ingluviem. Siccata lagona, fructibus et pane ad micam usque comesis, vitra (haec enim unice non ederat), in bulga reposuit, et, patrato opere contentus, toto pectore respiravit.

Tum demum in nos intendens verba simul et oculos: — Ne miremini — inquit — me primo diei tempore copioso ientaculo perfrui. Civis Romanus dico, et maiores nostros quinques comedere diebus singulis, et explorare se solitos, religione magna sequor, vel in minimis curans quae facere ipsi solebant.

— Atqui — Forfex ait non sine aculeo — potiusquam Romanos, parcos et frugales, mihi Graecos illos Homericos imitari videris, quae satis nunc ad explendum oppidum essent, bini comedentes, vel terni.

— Minime — inquit ille — Graecus, uti putas, sed Romanus praedictor, et Romanus quidem totus in priscis; ideo respuo potionem nigram illam ex arabica faba, quam maiores nostri ignorabant.

Tunc ego intercipiens: — Ecquid kaffeo cum fabis commune est? Illud semen ex arbuto, istae ex herba. Nec simili inter se forma sunt, neque minus, quo possint prodesse nobis modo, inter se discrepant; lignosum semen est kaffeo, et semiambustum, contritumque, molitumque iuvat, praeter hoc inutile prorsus; fabae contra legumina sunt, quae recentia, tenuilla, optima ad esum sunt; quae sicca obdurataque ebullient molliuntur aqua et pultim excellentem

stinctus luere; infortunium acerba, magistro stimulante, verba sentire. Quis neget miserium esse puerum ad annos usque adolescentiae curis quotidianis distentum?

At ubi viriles inducerit vestes, ubi inter homines versari cooperit homo nova surgunt fastidia, taedia nova consurgunt. Praestare videtur aequales et aemulos, et ad honores irreperi et lucra consequi non casu, non merito pro bene factis, sed commendatione hominum et feminarum, sed intuitu fumosarum imaginum maiorum suorum, sed benevolentia iniusta magistratus. Videbit ista quotidie et quotidie ingemiscet, taedabitque publicae vitae, quae penitus innititur iniquitati, atque utinam non videat se fraudibus circumventum, calumniis obtutum, atque apud eos, qui possunt, tetrorimo descriptum lapillo. Quorsum haec? Donec oppressus intereat bili, donec exsul abeat patria, locum cedens non virtuti praestantiori, non innocentiae, sed fraudibus industria nefaria paratis, quibus assuevit aeger desperantis Brutis sententiae, demissam caelo in terram a superis esse virtutem, quam non ipsi tuerentur, sed quam improbitati darent victimam atque ludibrium. Tum necessitate repugnandi, exemplo trahenti in perniciem, cum nihil sanctum, nihil inviolatum, nihil inexpugnatum ubique videat, sciatque haec impune omnia fieri, aut cupidini mortis obeundae cedet; his enim, quae nunc sunt temporibus nusquam diversa perspiciet, aut improbissimis quibusvis ubique victoribus, imperantibus ac triumphantibus vietas et ipse dabit manus. Quas cum dederit, cum et ipse potitus erit imperio iisque abundet et affluat, sine quibus videtur voluptuosa et iucunda vita

confidunt; quae non leguntur singula ex arbore decidentia, sed propter solum falcula secantur a messoribus. Quid igitur kaffeo cum fabis commune? Nec video causam, qua arabicam, nec potius africam, aut americanam dicas hanc esse fabam, cum in hisce et locis prospere arbor haec germinet. Dic ergo felicius kaffeum, ex illa Aethiopiae consona nomini regione, in qua excellens pae ceteris locis est, si Massaiae, viro illie diutissime commoranti et versato, veridico, historiae illustris auctori, credere volueris.

— Atqui ego — reddidit ille truo — ita appello, ut latinitatem ad « modernas » quoque res exprimendas aptam demonstrem.

Tunc ipse, qui scribo: — Die, sodes; quo ex mari piscatus es istum cete « modernum »?

— Numquid — illico me truo interrogat — minus recte dixi?

Ego: — Latinitatem consule, sodes, et videbis te non modo dixisse male, non enim in latinis lexicis « modernum » habetur; sed ore proprio tibi maledixisse; demonstras enim ex ore tuo latinitatem non aptam ad exprimendum vocem « modernum », nisi refugere velis ad illa « recens, nuperum, hodiernum » quae quidem, quia Cicerone, Catone et reliquis trita nimis, obsoleta possunt fortasse tibi videri.

Forfex ridebat, atque oculis innuebat ut extimularem dicentem, et acriore aceto perfunderem, quoniam acetabulum erat in manibus; ipse postea attico sale condiret, nisi dñs visum et esset alium viae socium nobis concedere, qui et pipere et oleo superadditis, condimentorum omnium numerum absolveret. Itaque addidi: — Tu vero nequaquam Romae natus, nec Romanus es, nam loquela tua manifestum te facit.

(Ad proximum numerum).

H. DE VECCHI PIERALICE.

non posse consistere, lacerante conscientia scelerum, recordatione mordente semper, non erit pax ulla sed bellum, non erit quies sed diurnum insomnium ultricibus Manium umbris saepe recursum. Delicieis assuetis obstupescunt sensus, hebetatur animus, iamque praetergressi, quae habemus, in ea quae vel negantur, vel non habemus, contendimus.

Quae omnia cum sint pluribus explorata exemplis, et lugubri temporum testimonio — heu frequenti nimium! — probata et confirmata, neque illis Horatii carminibus egent ut apertiora patescant, ubi ait:

*Contracta pisces aequora sentiunt  
Iactis in altum molibus; huc frequens  
Caementa demittit redemptor  
Cum famulis, dominusque terrae  
Fastidiosus; sed timor et minae  
Scandunt eodem quo dominus, neque  
Decedit aerata triremi,  
Et post equitem sedet atra cura.*

Quae minae? Adlatrantis aeternum et mordentis conscientiae scelerum; magnae enim opes, magna latrocinia; quippe, vel ethnico, Poeta monemur:

*Criminis admissi prima haec est ultio, quod se  
Iudice nemo nocens absolvitur.*

Quinam timor? Mortis, inquam, amarissime separantis, quae dum

*Aequo pulsat pede  
Pauperum tabernas, regumque turres,  
Sceptra ligonibus aequat.*

Atque timor hic, et huiusmodi minae si quemque infeliciissimum faciant, etsi toto corporis robore et firma valetudine florentem, prae ceteris afficiunt senem in annos proximiores morti indeprecabili dilabentem. Accedunt enim morbi, accedit moeror, accedit quotidie crescents debilitas, et sensuum stupor, quo hebescit oculorum acies; aurium perceptio, narium et palatus titillatio, quibus non ultra flores educant horti, non fructus

*Mobilibus pomaria rivis.*

Age nunc et quotidie morituro para convivium!

*Districtus ensis cui super impia  
Cervice pendet, non Siculae dapes  
Dulcem elaborabunt saporem,  
Non avium, cytharaeque cantus  
Somnum reducent.*

Haec hominum fastidia, quae saepe propriis quaesita manibus mors absolvit, atque id praesertim in iis exercet, qui videntium consensu et felices censemur, et beati nominantur.

Contra durant in fastidia fortes, qui humiliore loco vel nati, vel viventes, ruri campisque operam, contenti parvo, nec

*Valle permulant Sabina  
Divitias operosiores.*

Siquis me roget qua de causa districti laboribus, et interdum exigua re familiari dolentes minus vitae fastidia sentiant et experiantur, et fere numquam violentas in se manus iniiciant, causam proferam brevioribus verbis: quia a Deo inter haec fastidia positi divinae ordinationi acquiescent, et intuentes in eum, qui Pater est totius consolationis, illud Augustini prae oculis

et in corde habent: « Fecisti nos, Deus, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te! »

P. ALEXIS.

## DE HOROLOGIIS

*H*ILY, conserva tempus! — Hoe divino in sa-  
ris paginis monemur praecepto; tempore  
enim nil pretiosius homini. Qua in re ani-  
madverto nihil factu possibile esse, quod hisce  
duobus, nempe loco ac tempori, non innitat;   
omnis autem sermocinationis ratio ab iisdem  
praecipue pendet, quae si Dempseris, penitus  
eloquium perit, nec fas est intelligi atque in-  
telligere.

Asseram insuper quod mirabile videatur,  
scilicet in vita, quanta est, omnia per temporis  
distributionem et ordinem fieri, quibus sublat-  
is, omnia ruere, misceri, confundi videbis,  
nec familia, nec urbs, nec civitas extare po-  
terunt, et antequam fiant ipsa opera in primo  
conamine subvertentur. Itaque mihi et senti-  
entia est, ab ipso humani generis exordio  
temporis rationem, distributionem, ordinem  
exstitisse. Atque inutile dicam perquirere qua  
in tempore dividendo atque administrando  
prisci et principes illi viri machina potissimum  
uterentur, utrum automate et fabrefactis, an  
potius, naturali illa solemnī vicissitudine diei et  
noctis, luminis ac tenebrarum, lunae et solis, et  
conversione illa mirabilē siderum contenti, tan-  
tummodo rem integrā summa per capita dis-  
plicerent ac enuclearent. Obruiunt saeculorum  
caligine, premimur monumentorum inopia,  
et quae tractata posse nitescere desperamus,  
potius quam audaci conjectura vel superba af-  
firmatione probare, praestat uti sunt incerta  
relinquere.

Divisere profecto tempus, namque illo sunt  
usi in aedificiis, in domibus, in agrorum ope-  
ribus, in comparatione ciborum, in frugibus  
tum serendis, tum secundis, tum servandis, in  
armentis tutandis, pascendis, in venatione, in  
piscatione, in singulis denique; satis est hoc  
scivisse, ad sobrietatem scivisse, nec plus sa-  
pere quam oportet sapere, uti Tarsensis monet  
philosophus.

Miror tamen tot in monumentis, quae nostra  
aetate patuerunt, quaeque alta humo condita  
maiores nostri ignorarunt, qualia Thebea se-  
pulera, Assyra et Chaldaea aedicia, tum quae  
in Akkad, in Mycenis, in Argo urbibus, tum  
quae in Cretensis regionibus, quae in pagis  
Etruscis, et Oscis, et Siculis effodiuntur, nihil  
prorsus circa horologia sculpturis, picturis, in-  
scriptionibus ferre. Mirari licet haec; minime  
vero licet, quasi argumentum, proferre. Quod  
enim hactenus hora statuit, quia hactenus reper-  
tum non est, potest momento temporis reperi-  
ri, et patere. Quin igitur quid coniectemus; longe  
enim a moribus et usu nostro abest praeposi-  
tiae sententiae inservire, et contechnari, ut  
Plautus ait, ad ea, quae scripserunt veteres,  
et quae a naufragio superstites exstitere, li-  
brorum ad reliquias convertimur.

Atque hic duo primum assurgunt: Biblia et  
Homerus. In Homero, quod sciām, omnia re-  
dueuntur, quae sunt temporis, ad illa quae

sole, luna, sideribus in firmamentum gradien-  
tibus, vel per illud ad mare declinantibus in-  
dicantur. Aurora, solis ortus, occasus et sidera  
et luna horologii vice funguntur; non autem  
stile fit horarum interdin mensura, non cle-  
psydra noctū. Haec profecto passim. Sed quid  
sibi volunt haec Homerī carmina, in quibus  
aperta horarum fit mentio, quaeque ego ad ver-  
bum e Graeca interpretor Musa *Iliadis*, Lib. V.,  
circa finem?

*Iuno autem flagello agitabat equos;  
Sponte autem portae apertae sunt caeli, quas custo-  
diebant Horae,  
Quibus commissum est magnum caelum, et Olympus,  
Et reducere densam nebula, et inducere.*

Nisi quis probet haec ab emendatoribus  
Homeri inducta fuisse, quippe quadringentos  
circiter per annos in opus incubuerunt, fateor  
me in difficilissimis versari. Praetereo autem  
et aliquod simile relatis, ex *Odyssaea* effodien-  
dum.

At in hisce me prohibere non possum quin  
memorem quod olim legisse memini, scilicet  
horis datum tale sonans nomen ab Horo, Aegy-  
ptiorum Numine, atque inde, ab Aegyptiis tra-  
ditum, Graecos accepisse. Horus autem apud  
Aegyptios idem ac Apollo est. Video insuper  
dici « horizona » fasciam illam caeli, in qua  
horae describuntur decursu, si pro zodiaco ho-  
rizon sumatur obvia illa dicendi figura, qua  
pars pro toto ponitur. Video Graece ὥρα idem  
esse ac apud nos; et scio Graecam civitatem,  
eiectis a regione Pelasgis, quorum opera, Pau-  
sanias teste, Astu aedificati sunt muri, Argos,  
Mycenarum, Tirynthi, ceterarumque urbium  
illie antiquissimarum eodem ritu, quo Feren-  
tina moenia, Arpinatia, Aletrina, Signina, Volan-  
teriana, Faesulana, et reliqua Etruscorum;  
scio, inquam, Graecam civitatem tribus praes-  
ertim populis ab Aegypto exsulantibus, Ara-  
messe Danao duce, Sesostridis filio, fuisse  
conflatam. Qua de re mature scribam in hoc  
commentario, quae a monumentis veterum  
scriptis a me olim hausta, recentiores effos-  
siones, quarum et apud has paginas mentio  
recens fuit, mirabili consensu firmarunt. Sed,  
ne vagemur longius, ad nostra redeamus, ac  
teneamus.

(Ad proximum numerum).

G. P.

## ANNALES

Gallorum Russorumque foedus iterum fir-  
matum — Graecorum Rumenorumque  
contra infectum — Mauritanorum atque  
Iberorum iurgia — Philippinis in insulis  
ad velititationes — Transwaalianum bellum.

*R*HEMI, Compiègne, Dunquerca, tria haec no-  
mina diu Galli ferme memorabunt, quippe  
quae renovatum sollemniter ac publicatum inter  
suum populum cum Russorum imperio foedus  
significant. Lutetienses tamen, qui prae reliquis  
Gallis omnibus suam optabant in urbem Rus-  
sorum Caesarem excipere, in vanum cedere con-  
ceptam de re spem viderunt.

Nec dissimilia, etsi in re minus gravi, Ru-  
menis adolescentibus contigerunt, qui suis ex  
athenaeis in Graeciam profecti, Graecos aequa-

les ac studiorum socios visitaturi adierant. Conveniebat enim secreto iuvenes illi publicas inopinato palamque per plateas et vias Athenarum ducere pompas, simul conclamantes pro foedere proxime suas inter gentes feriendo. At contra, re cognita, pompa vetita est, aususque in irritum cessit. Quinimum, infectae rei occasione sumpta, passim Hellenica diaria obnoxia sese, in propositum huiusmodi foedus obtestantur aeriter; estque etiam monumentum scriptum a magistratibus diariisque vulgandum traditum, quo animadvertisit Graecorum publicae utilitati parum in praesens prodesse nova cum finitimis civitatibus iungere foedera, quoad eadem saltem incerta manserit Cretae insulae conditio. Docet item monitum Russorum similitates vel suspiciones non esse excitandas, cuius est votum de populis circa Danuvii oras incolentibus in unum cogendis. Russis enim certo certius ingratum fore praenosicitur Graecorum rempublicam suas cogere vires contra Serbos, vel Bulgarios, vel ceteros populos Slavonica origine natos. Interea Carolus, Rumaniae rex, Franciscum Iosephum, Austrorum Imperatorem, invisorus adiit. Numquid de re cum eo locutus erit?

★

Silent nunc quae dictabantur novissime voces de Russorum invidis consiliis in Mauritanos. Alioquin Iberiae irae non remittunt, iureque perdurant ob inlatas cruentas a Mauritanis iniurias in ipsorum cives, quorum adhuc nonnulli in vinculis detinentur. Negotia de damnis saltem sarcendis diu, uti cum barbaris Turcis saepe assolet, pro, vel contra Iberos acta: tandem vero, paratis iam ab Iberica classe bellicis minis, concessit Mauritanorum rex, atque petitionibus et iuribus Iberorum iustum piaculum iustumque pretium redditum se spondit.

★

Ut Anglis in ultima Africa, diu iam post victoriam conclamatam, ita et Americanis in Philippinis insulis post ipsum Aguinaldo, supremum ducem, captivum ductum, bellum perdurat. Traditum est enim e Manilla, Americana centuriam fuisse a Philippinis incolis in insidas inopinata petitam, atque oppressam multa cum clade.

★

Ex Africano autem bello, post proelia ad Eland's River Port et ad Utrecht Anglis infesta, extrema haec Kitchener dux docuit, Boerorum legionem, Delarey duce, ad Ruslenburg loca Anglos aggressam; incassum tamen, cum, pulsis aggredientibus, Angli sospites evaserint. Facile inde coniectui est bellum acerrimum adhuc utrinque proseguiri; tradunt immo brevi fore ut novae copiae in Africam ex Anglia mittantur, multaeque legiones emeritis iam stipendiis revocentur tad signa. Haec inter pestifera lues ipsa in Anglicis colonia iterum apparuit...

POPLICOLA.

## LIBRORUM RECENSIO

De sacra B. M. Virginis Imagine, quae sub titulo Civitatis in Mamurrae oppido (in Campania) magna religione colitur, Carmen historicum a CARMELO PEZZULLO Protonotario Ap-

stolico editum. — Aversae, ex Typographia Francisci Fabozzi, 1901.

Carmen hoc, dignum sane cedro, constans versibus septuaginta quatuor supra quadringentos, auget segem illam poetarum, quos schola recentior, nescio quo vesano furore acta, quasi deliros ab se proicit ac degindatur. At nobis contra aestimantibus licet pauca quaedam ex eo libro depromere atque oculis legentum subiicie, qui, suo utentes iudicio, totius operis degustandi statim desiderio calebunt.

Quo autem rei summa melius intellegatur, iuverit per breve epistolam eamque pervenustam, referre, quae carmini praeit: « Amice Lector. — Apostolus Paulus, Praedicator veritatis, et Doctor Gentium, in 11<sup>a</sup> eius Epist. ad Thess. inter alia scripsit: *Fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam.* Iam inde ab anno 1857 Ioann. Bapt. Piccirilli Neapolit typis commisit opusculum, cui titulus: *Storia dell'insigne Santuario di Santa Maria della Civita che si venera in Itri.* Paucis abhinc mensibus opusculum illud perlegi, ab eoque didici, et firmiter teneo, quae in praesenti Carmine, a me subsecvis horis elaborato, continentur. Haec tibi paucis volui, ne credas, me in Carmine ipso, ut Poetae assolent, fabulatum fuisse. Vale».

Adstructa sic historiae fide, res proponitur primis hisce versibus:

*Quam Lucas olim Eois depinxit in oris,  
Virginis Effigiem, divino Numine tandem,  
Post varias sedes, transvectam in Civita Montem,  
Et Templum, positasque aras, fideique triumphum,  
Quantaque festivae fuerint spectacula pompa,  
Concinimus...*

Sed planius etiam ordo carminis patet ex hac dulcisona invocatione:

*Salve, Regina Potens, tu quondam e vertice Caeli  
Orbe sub Eoo degentibus usque dedisti  
Pace frui multa: tu prodigaliter inde  
Ciliciam transvecta prius, Messana deinde  
Littora, te Matrem quotquot coluere, beasti.  
Nunc nobis veniens totum mansura per aevum,  
Mater Amoris eris, natos nos semper amabis  
Et te nos Matrem, te semper amabimus omnes.*

Ex quibus, etsi perpaucis, et specimen habes poetici coloris, et scriptorem deprehendis « opere in longo » carentem, ne sit numerorum delectatio tam diurna, quae auribus afferat satietatem; quod is quidem facile assequitur, vindicata sibi in syllabis dimetiendis aliqua libertate; ut videre est in vv. 50, 173, 294:

— *Salve, Regina Potens, tu quondam e vertice Caeli* —  
— *Ecce duo Monachi, ex senioribus ambo* —  
— *Pone sequens populus turmatim sua gaudia promit.*

Historicum autem quum sit carmen, iure commendatur nativa quadam, et quasi Liviana aut Naeviana simplicitate; ut in his:

- v. 94: *Exurgunt Monachi, Mariaeque apparel Imago*  
112: *Quod modo ab indigenis Nova Sancta Maria*  
[vocatur.]  
201: *Mons tibi semper honos: montem tibi deligis*  
[istum,  
*Et tibi monte isto consurgere templa videbis,*  
*Et tibi monte isto semper reddemus honores.*  
229: *Caietane urbis Franciscus Episcopus annos*  
*Post centum...*  
239: *In formamque novam post saecula multa ma-*  
[nendum.  
249: *Et merito decorant Sanctuarī nomine templum.*  
276: *Quae facienda iubent Rubricae rite peractis.*  
286: *Instructum concendit equum e melioribus urbis.*  
288: *Ore gravi Pastor Marianos intonat hymnos.*  
126: *Hic illic sparsim pagosque urbesque proquinquas.*  
390: *En qui rura colunt, pagosque urbesque pro-*  
[quinquas,  
*Et qui longinquas alia in regione repostas.*

Splendida praeterea descriptio est tum sacrae pompa, tum ignei artificii in honorem Virginis; a quibus locis afferendis, quod productiores sint, aegre abstinemus.

Restat ut virorum coetus, qui litterarum incolunt gravius advigilant, carminis huius auctorem inserant suorum vatum choris habeantque sibi carissimum: quo praemio honoris facile poterunt ceteris quoque

*ratis addere calcar,*

*Ut studio maiore petant Helicona virentem.*

P. ANGELINI.

## AD PROXIMUM NUMERUM

His diebus a socio et scriptore nostro H. Doswald ex Americis accepimus litteras « de MacKinley praeside interfecto ». Quamquam de tristissimo illo eventu et de viro in Voce Urbis locuti sumus, morem tamen amico gerentes, scriptum novum, quod, cum serius ad nos per venerit, in hoc commentarii nostri numero locum habere non potuit, in proximo edemus.

## AENIGMATA

## I.

Littera, de liquidis quae una est, pars prima;  
[secunda]  
Vox dubii. Ut, lector, nes praecipit ultima;  
[totum]  
Errans quod populus loca per deserta comedit.

## II.

(in quo media littera alternanda est).

1. Est Siculum urbs, flumen. — 2. Terram pro [tenditur intus  
Hic pelagi tractus, stationem datque carinis.  
1 + 2. Demoeritus iugi pulmonem agitare so [lebat  
Risu; ideo hoc illi merito cognomen adhaesit.

A. MORCHIO.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

PETRI ANGELINI

LOLLIUS

SIVE

DE PROVECTA LATINITATE

Aenigmata a. IV, n. XVI proposita his respondent:

1) Tela, Telum, Letum; 2) Olim, Milo.

Ea rite soluta miserunt:

Herm. Gini, Taurinis aquis. — Ric. Magenta, Genua. — D. Le Provost, Briocen. — F. Arnori, Mediolano. — Princ. Gordon, Mancunio — Lud. De Rubeis, Iugurio — I. Szymaitis, Opitoloki. — Eug. Sosio, Bormio. — Guil. Schenz, Ratisbona. — Iul. Sernatinger, Dresden. — Fr. Sallarés Sch. Piar., Sabadello. — P. Pellegrini, Neapoli. — Alois. Capelli, Sensi — Ad. Skrzypkowski, Svinice. — I. Walter, Neo-Eboraco. — I. Rainer. — E. Burg, Argentorato. — P. Desiderius O. F. M., St. Louis. — Collegium Sch. Piar. Stellae. — Am. Robert, Marieville. — St. Figielksi, Rypino. — Car. Stegmüller, Sabaria. — Petr. Garrone, Pezzana ad Vercellas. — Aug. Roberge, Chicotino. — V. Hertel, Mendhusio.

Sortitus est praemium

P. DESIDERIUS O. F. M.

ad quem missum est opus, cui titulus:

PETRI ANGELINI

LOLLIUS

SIVE

DE PROVECTA LATINITATE.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

## PER ORBEM

**S**CRIBENTEM ac recolentem assidue tot damna, tot aerumnas, tot fortunatum vitaque discrimina minitatur mox, atque conterret horridus morbus, isque quam proximus. Neapolim enim, finitiam paene urbem, aggressa est mortifera pestis lues, quae cum innotuerit, haud facile dictu est quantus metus Italianam omnem, litoraque Interni nostri maris pervaserit. Contagium, ut assolet, passim muriumelades inopina primum medicorum vigilibus oculis indigitavit. Quo motu eventu properarunt urbis magistratus solliciti ut debellarent cito, et centrum contagii invenirent, quod ad aedicularis quasdam circa portum reperierunt. Mense enim iam elapsi bauli quidam correpti primitus atro morbo ibi procubuerant; inde mora non fuit quin in eo loco contagii ambitus omni industria circumsciberetur, ac potentia et vi eius imminuta, restinctum feliciter diffusionis periculum omne dici posset. Quod cum, Deo adiuvante, contigisse videatur, erecti plane civium animi Italorumque ancipites sollicitudines passim sunt dissipatae.




Similia evenisse Brasiliae Reipublicae in urbe capite, a Ianuario flumine nuncupata, fama fuit; at simul inde quoque renunciatum sedula curionum opera iam omnia decreta, quae continere morbi propagationem, quaeque repellere a reipublicae finibus tantum malum valerent.



Nos autem vix animo a pestifero metu redintegratos contristavat iterum vehemens infortunium Cusentina in regione ortum. Ignitae pulvris, media ipsa in urbe, incenditur officina ac prosilit. Flammae inde voraces extitae extemplo quam maximae; cumque deficerent vigilum cohortes, advocati statim finitimi ex oppidis militum operariorum manipuli. At eorum opera inferior prorsus infortunii magnitudine atque celeritate visa. E centro enim urbis tamquam e libano flamme effundebantur vento inflatae, auctae, vorantes omnia circum. Quaquaversus fugiebant mulieres atque infantuli derelinquentes domus resque suas igni absundendas: ignitarum rerum acervi alebant et ipsi ruinam. Tandem post eximos militum civiumque conatus, post virtutis altissima specimina, cohibita ignis rabies dispergit; at ex ditissimo aedibus et thesauris urbis centro non nisi fumantes ruinae superfuerunt.



Tristia nec longe dissimilia passim tradunt Germanica diaria. Pleinstein oppidum prope Ratisbonensia moenia ab incendio e pistrina orto voratum est fere omne: templum, canonicorum aedes, monialium virginum claustra deleta omnino fuere. Leopolitana item e civitate nuncii sunt, Sokalensibus civibus eadem prorsus quae Cusentinis contigisse. Circa forum et maximam urbis viam ducentae iam domus igni consumptae; civium tria millia adnumerantur, qui et tecto et supellectili carent: Iudeorum templá in ruinam deiecta iacent.



Ecquid? Nihil ne erit hodie quod ex infortuniis mentem retrahat ac relaxet? Fateor me frustra reperiisse quidquam, tantumque solari me potuisse oblectamentis iis, quae praestat ipsa anni tempestas, decidentis nimurum autumni, cuius cum plenitudine nova exsiliunt e dolis exque urceis vina, novaque recreabunt Bacchi munera defatigatum metu et dolore viatorem. Sed tamen cito, redeunte glacie, udisque pluviasi contristabimur, fientque peiora hodiernis gravioraque itinera....

VIATOR.

## VARIA

### Chartae usus.

Chartae usus et quid et quanti sit hodie in orbe terrarum facile conjectatur ex iis, quae scribemus. Millies centena millia libellarum in Canadensi regione quotannis impenduntur in lignis terendis, quorum ex, ut ita dicam, adipe massa conficitur, unde, postmodum liquefici additis aquis, charta fiat. Triginta opificia in rem illic incumbunt ut lignea massa redigatur in chartam, eademque pecuniae vis insuper persolvenda est, ut opus perficiatur. Diarium unum *Petit Journal* in singulos annos centies centena millia chilogrammatum charta in comparanda absunit. Ephemeris Germanica, cui nomen *Berliner Lokalanziger* centies et vices centena chilogrammatum millia hoc anno emisse constat praelo subiicienda. Hisce ex praemissis noscet facile reliqua lector intelligens; nam fert proverbum: «Intelligenti pauca», et «Ex ungue leonem».

### Nova via ferrea Orbi compar.

Exstat triplex nucleus, quasi funiculus triplex pecuniosissimorum hominum, distributus per totidem gentes quibus constat, Russas nempe, Americanas et Franco-Gallicas. Via haec ab Alaska procedens, Transiberianam cum Canadensi et Americana Foederatarum Civitatum tercentis chilometris superadditis coniungit; fretum Behring, dispositis super pelago ratisbus, quae vaporitras et vaporivehas sequentesque alligatosque currus ex integro excipient, tranabit; rates autem hinc inde Alaskanos in Transiberianos, Transiberianos in Alaskanos immittent ferreis axibus ex litore porrectis ad negotium; rates vero illius generis erunt, quas a *ferry-boats* anglico sermone designant. Mathematicus vir Lebel, patria Gallus, operis et summam et singula, sua arte ac scientia, descripsit. Itaque ex Hispano litore, peragrat Europa et Asia, America potietur qui sedit olim in Lusitania, et a vaporiveha mediā in Americam descendet, nec unquam, nec usquam cursu interrupto.



### Formicis unde incommodis exterminium.

«Vade, piger, ad formicam» dicit Spiritus, ut, abdicata socordia, in ea seduli simus, quae muneric nostri sunt. Bonis numquam licuit viris esse otiosis, et adhuc resonant in auribus meis illa Hieronymi, quae me olim puerum pulchre exercebant: «Aspicio formicarum gem angusto calle fervore, ferre onera maiora quam corpora. Aliae herbarum quaedam semina forcipe oris trahebant; aliae agerent humum de foveis, et aquarum meatus aggeribus excludebant. Illae venturae hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea converteret, illata semina praecidebant; haec luctu celebri defuncta corpora deportabant. Quodque magis mirum est, in tanto agmine egrediens non obstabat intranti; quin potius, siquam vidissent sub fasce et onere condidisse, suppositis humeris adiuvabant.» Quarum itaque cum sit tanta sollertia, nescio quid sibi non metuant horrea, carnaria, pomiferaeque arbores, coqui, panificae, pistores, et quotquot sunt bellariorum artifices; non enim area, non armarium esse potest, argumentosis hisce bestiolis, quod sit impervium atque praecclusum. Hinc adversus illas, quasi una cum gente Iuno, tot annos bella gerit frustanea genus humanum, quas non igne, non muris, non ferventibus aquis, non oleo therebintino, resinaque exterminare fas est, aut amovere saltem a loco. Sed nuperrime inventum est quod fulmineum illis venenum habetur, quod-

que stantes in cibili, domumque tuentes repente necat, redeentes arcet odore. Sufficit oleum litantracis, quod dicunt, accipere, eoque linire circum arbores, eoque aquis commixto caveas formicarum aspergere, imbuiere, eoque in patellula effuso, patellulam ipsam in armario, in capsu concludere.

Lectores, quibus a formicis domi taedium, damnumque est, remedium poscant, quod minimi emitur, et incommodis hisce hospitibus et latrocinantibus procaldubio carebunt.

### Loci.

*Philepho iudice ubi constituenda cenacula.*

Apud quosdam in Urbe solent conventus haberi, ubi, ineunte nocte, sermones eruditiores agitantur. Philephus, facetus vir, secum nonnullos adducit, qui exemplo convenientium meliores fiant. His interdum facultas datur suam dicendi sententiam. De cenaculis apud veteres sermo erat, quae in superiore domus parte constituti solebant. Novus homo, ceteroquin dives, audiebat attentus, aperta vero dissentientis animi nutante capite signa ostendebat. Tunc unus e sociis: — Atqui tu illa et haec inficiaris, quae et literis et effusionibus manifesta sunt? — Panuntius, hoc novo illi nomen, placide respondit: — Quae fecerint veteres illi non abnuo, quia non euro; at morem faciendi et aedicandi non probbo. — Ecce? — omnes conlament. — Quia.., quia — Panuntius ait — nihil scala periculosius et gravius est a cena abeuntibus. Hi enim, cibis graves et obruti vino, facile per gradus praecipi casu..... Intelligentis optime omnes!

Profecto omnes mirifice intellexerunt, neque tamen risum continere poterunt, qui sciebant, saepissime multa cum fama, Panuntium recentem a cena sine scala et sine gradibus in via concidisse.

P. d. V.

## EPISTOLARUM COMMERCİUM

Cl. v. IAC. TAS..., Molomii prope Tornodurum — Semel, bis, ter, et quot sequuntur huiusmodi, cumulativi sunt numeri. Singuli, bini, terni, etc., ordinativi sunt. Notant illi quoties iterandum semel patratum, hi qua disponantur acie procedentes. Bis bina igitur aequant quantitate quatuor; sed quaterna ex hoc non incedunt, id est veluti sint quatuor in fronte; nam in fronte sunt bini, nempe duo, quos rursus duo pone sequentur. — De integra quaestione autem et de accentu recordare illa Vergilii: *Bis* Venit ad mulctrā *binos* alit ubere foetus — et: *Bina* manu quatiens praefixo hastilia ferro. Habes itaque «*bina*» interdum ponit pro «*duo*»; habes vero «*bis*» indicare illud esse iterandum quod semel positum fuerit. Numquam denique legi «*bisbina*», aut «*binabis*» una voce coniuncta; sed prosodiae legibus parent.

EIDEM — De humanissimis verbis agimus gratias. Sed tamen ipse preconi illi faves, indulges, blandiris, qui, nulla interposita mora, superbo, quamquam insolso, ludibrio Latinas gentes insultat.

Cl. v. FR. PAL..., Pragae — Litteras, quas pollicitus es, vehementer exspectamus.

Cl. v. AL. BA..., Florentiae — sed propositam rem eris tandem aliquando aggressurus? Ab isto Tranquillino nihil ne sperandum?

Cl. v. IOS. KER..., Nivariae — Oleum et operam perdidisti!

A SECRETIS.

\* FIDES \*  
 (Italice Violino)  
 quod musicum organum  
**S T R A D I V A R I U S**  
 CREMONENSIMUM ARTIFEX CELEBERRIMUS  
 CONFECIT  
**Romae veneunt.**

Negotium agitur apud Commentarii *VOX URBIS* administratorem, ROMAE, via Alessandrina, 87.

DUBIA ET RESPONSA SUPER EXTENSIONE  
 IUBILAEI ANNI MCM ad universam Ecclesiam  
 proposita in commodum confessariorum a THOMA ARIZ-  
 ZOLI Missionario Apostolico Imperiali, Sacrae Poenitentia-  
 tiae officiali.

Dubia huiusmodi explicant facultates quas Summus Pontifex  
 concedit in ordine ad Iubilaeum exercendas et complectuntur praecipuos casus qui in Iubilao proponuntur. Responsa sacrae Poenitentiae, *etiam recens data, quae opus fuit memorare*, memorantur.  
 Accedunt Constitutio pontificia super extensione Iubilaei et, maxima ex parte, *Monita ex Constitutionibus Benedicti XIV de usu facultatum confessariis tributarum* excerpta.

Opusculum venit lib. 0.50 apud comm. *Vox Urbis* administratorem, Romae, via Alessandrina, 87.

*Nuperrime prodit*

**LOLLIUS, sive de proiecta latinitate,** PETRI ANGELINI  
 liber, constans  
 paginis CIX, excerptus ex Commentario *Vox Urbis*. - Venit  
 lib. 1.50, apud eiusdem Commentarii administratorem,  
 Romae, via Alessandrina, 87.

**Ciapponi Franciscus et Soc.**

OFFICINA  
 ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS  
 PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS  
 PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO — DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE — VIA SISTINA, 129 — ROMAE

**E**IBER (vulgo "ALBUM")  
 praecipua Urbis referens, pulcridine insignis atque, commentarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse conflatus, apud eumdem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87, ven. lib. 1.50.

**FIGURAE URBIS ROMAE**  
 ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE  
 COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO  
*Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

**URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS**

(m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii *VOX URBIS* dono datur,  
 venit singillatim L. 2.50

*apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
 EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

**LE LAUDI LATINE**  
 E  
 IL CANTICO DEL SOLE  
 DI  
 S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latinae cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, neconon illa Speculi perfectionis capita, alii subsequentur ad parvam Bibliothecam Franciscanam comparandam, Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.